

4

1872
14

ORATIO

QVAM RECVRRENTE DIE ERECTIONIS

ACADEMIAE SCIENTIARVM
BOICAE

XXVIII. MARTII MDCCLXXX.

HABVIT

GEORGIUS STANISLAUS DE
ROCCATANE

R
PRAEPOSITVS INSIGNIS COLLEGIATAE AD
S. SWIBERTVM CAESARISINSVLAE, BIBLIOTHECAE
AVLICAE PRAEFECTVS, ACADEMIAE BOICAE SCIEN-
TIARVM, NEC NON ACADEMIAE ANTIQVITATVM,
ET BONARVM ARTIVM HASSO - CASSELLANAE
SOCIVS ORDINARIVS.

QVVM

PRAEDICTA BIBLIOTHECA IVSSV, ET AVSPICIIS
MVNIFICENTISSIMI PRINCIPIS
AD PVBLICVM COMMODVM APERTA ESSET.



MONACHII,
APVD IOSEPHVM LINDAVER.

ORATIO

QVAM RECURRENTE DIE PRÆCIPIT

ACADEMIAE SCIENTIARVM

BOLICAE

XXVII. MARTII MDCCCLXX.



GEORGIVS STANISLAVS DE

ALAE

PRÆPOSITVS INSIGNIS COLLEGIATÆ AD

S. SWERTIVM CAESARIENSIVM, BIBLIOTHECÆ

AVVICAE PRÆFECTVS, ACADEMIÆ BOLICÆ SCIENTIARVM

TIARVM, NEC NON ACADEMIÆ ANTONIANÆ

ET BOLICARVM ARTIVM HASSO-CAROLINÆ

SOCIVS ORDINARIVS

QVAM

PRÆDICTA BIBLIOTHECA IVSSV ET AVSPICIIS

MANIFICENTISSIMI PRINCIPIS

AD PVBLCVM CONMODVM AERIA ERRET



MONACHII

ABVD IOSEPHVM LINDAYER

Tam incredibile in nos amator ille noster amoris illecebra detinetur,
ut non modo ex vivis omnibus contracta in unum commoda in civita-
tem conferat, fed etiam ex iis, qui jamdudum mortui sunt, quæcumque
bona esse existimat, corrogare non dubitet.
.
. Atqui nullum aliud nostri Amatoris opus aut præclarius, aut
Deo jucundius est,

Themistii in Constantium Imp. Oratio IV.
Petavio interprete. Edit. Harduin. Pa-
ris, 1684.

Deo iuvandus est.
Atque nullum aliud nostri Americae opus aut precariis, aut
.
bona esse existimant, contemere non debent.
tem coexistat, sed etiam ex his, per semelsum morari sunt, quodsumque
ut non modo ex vivis omnibus contractis in unum commoda in civita-
Tam incredibile in nos amatores ille nosse amoris illud est detestatur,

Thomson in Constantinople. 1884. 1884.



Si qui locus mihi ad dicendum patefactus sit, aut ante quos verba sim facturus, aut quæ temporis opportunitas ad loquendum mihi se præbuerit animo perpendam, profecto cujusmodi argumentum orationi meæ proponere debeam, minime dubitare possum. In amplissima enim, ac ornatissima Bibliotheca, quæ Musarum quasi templum quoddam, & sapientiæ sacrarium est, & eo ipso die, qui dies ejusdem Bibliothecæ ad publicam utilitatem dedicatione non modo nostra, verum etiam totius posteritatis recordatione recoletur; ad amplissimorum autem, & cum nobilitate, tum doctrina spectatissimorum virorum coronam, qui ad ornandam literariam hanc pompam confluxere, cum verba facere debeam, quid aliud mente versare possim, quid gratius omnium auribus exhibere, quam si ejusdem maximi, & præclarissimi beneficii amplitudinem, utilitatem, gloriam explicandam, declarandamque suscipiam? Locus ipse profecto, & infinita ipsa voluminum congeries a me requirere videtur, ut qui dies tantum ipsis dignitatis attulit, quantum ab hujusmodi frequentia, ab utilitate publica manare aspicimus, & intelligimus, tacitus a me minime prætereatur. Nihil vero vel civibus, vel sapien-

sapientiae cultoribus jucundius accidere potest, quam si accepti beneficii consideratione ad eos grati animi sensus excitentur, quos cum posteris communicare, illisque quasi hereditatem aliquam tradere debemus: BENEFICENTISSIMI autem PRINCIPIS animus nulla certe re delectari magis poterit, quam si intelligat, & quod Ipse beneficium in nos contulerit a nobis probe cognosci, & ejusdem beneficii cognitione nos ad bene utendum excitari; ita ut Ejus laudes cum publica utilitate, & cum gentis gloria arctissimo sint vinculo consociandae. Et fane ego ita statuo; Bibliothecae hujus amplissimae, instructissimaeque ad publicum commodum dedicatione, nihil ad doctrinarum incrementum utilius, nihil ad gloriam. & decus gentis magnificentius, illustriusque constitui potuisse.

Cum vero hujusmodi argumentum orationi meae proponere, subit profecto animum dubitatio, adjutusne magis ad dicendum materiae ubertate, & copia, an obrutus sim futurus: ut enim facile videri potest homini quamlibet infanti, & indiferto in eo argumento versari, in quo amplissima dicendi seges sit, ita arduum, & difficile videri debet eam omnem circumire, & peragrarare provinciam, quae nullis propemodum finibus sit circumscripta. Verum quamvis pro mearum virium tenuitate verendum mihi potius, quam audendum esse sentiam, alacri tamen animo propositum munus aggrediar: humanitate enim vestra recreor, Auditores amplissimi, ipsius materiae ad dicendum delectae excitator dignitate; cumque nullum orationi argumentum vel loco, vel tempori, vel muneri meo convenientius excogitari potuerit, fin minus ingenium meum, & eloquentiam, judicium saltem probabitis, & voluntatem.

Ac de utilitate quidem dicturus, quam ex Bibliothecae amplissimae publica dedicatione literae percepturae sunt, nihil fane mihi laborandum esse intelligo: non enim ego cum ad lectissimos, & humanitate, ac ingenio praestantes viros verba

Va faciam, de literarum utilitate prius dicendum esse arbitror, ut hinc veluti gradum faciam ad evincendam publicæ Bibliothecæ utilitatem. Fuit jam tempus illud, cum non solum de scientiarum utilitate dubitare licebat, verum etiam literæ ingenuis, & liberalibus viris dedecori esse censebantur. Nunc vero, quod nobis omnibus gratulandum est, immanissimus error est omnium mentibus depulsus; omnibus illud est, quam quod maxime laudatissimum; literas scilicet, scientiasque universas ad Reipublicæ bonum quam maxime pertinere, eamque gentem propius ad felicitatem accessisse, apud quam bonarum artium studia magis florere videantur. Itaque nullus literis, earumque cultoribus vacat locus; quocumque oculos vertas, Academias intueris, Gymnasia, Universitates, Bibliothecas; eodem studio privatus agitur, eodem Princeps. Quis vero magis, quam miles olim a Musis abhorrebat? Ipse quidem quasi suo jure Musas aspernari, & ut hominibus, ita humanitati, quæ ex literarum studiis semper effloruit, bellum indixisse censebatur. At nunc Musæ propemodum ipsa jam castra sequuntur, mediaque inter arma versantur; & Minerva, quam sapienter antiquitas e Jovis cerebro prognatam autumavit, & disciplinarum studiis æque ac bellicis artibus præesse dixit, eosdem jam habet doctarum, & militarium disciplinarum alumnos, qui non minore studio ad bellicam gloriam, quam ad literariam laudem enituntur. Itaque illæ ipsæ gentes, ac nationes, quæ antea de militari tantum laude cogitabant, atque in militari fortitudine summum decus ponebant, nunc retenta, atque etiam aucta veteri gloria, simul etiam totis viribus ad excolendas literas, ad amplificandas scientias, ad omnes humanitatis artes perficiendas incumbunt.

Quas inter gentes, & populos quominus Germanorum nationem in primis præstare affirmem, haud me retinebit timor, ne assentandi voluntate huc oratio mea perducta videatur. Quamquam enim apud vos loquor, Auditores Ornatissimi, qui inter Germaniæ populos eum locum obtinetis, quem

quem Vobis antiquitas generis, Majorum fortitudo, regni felicitas, fortunarum splendor, Principum gloria præcipuum jure concedit, de re tamen loquor omnibus nota, per omnes Europæ partes, ac quocunque de literis increbuit rumor, longe, lateque pervulgata, quæque non modo admirationem pariat, verum etiam admirationem commoveat; inclytam scilicet Germanorum Nationem, quæ militari fortitudine partam a majoribus belli gloriam tueatur, summam præterea laudem in omni doctrinarum genere consecutam esse. Invidiosum quidem esset, eam studiorum, ac ingeniorum comparisonem instituere, ex qua de Reipublicæ literariæ principatu inter cultissimas nationes sententia ferenda esset: nec equidem id judicii interponam, quod Germanis ipsis iurbarum videatur: sed tamen affirmem, ita Germanos bene de omnibus disciplinis meritos esse, ut cum nemini ingenii laude concedant, omnes studiorum ardore antevertant, ipsi jam soli sufficere possint ad scientias omnes ab interitu vindicandas.

Jam vero in tanta ista studiorum contentione, in istis ad omnimodam eruditionem præclarissimis conatibus si quis Germaniam, quam nunc habemus doctis viris undequaque scatentem, cum Germania illa veteri fortissimis tantum alumni, & militaribus institutis instructam comparare velit, haud profecto eum tam magnæ conversionis pœnitebit; nam neque militarem fortitudinem desiderabit, quæ potius ab ipsis scientiarum disciplinis ad protegendam bello patriam, imperique dignitatem propugnandam multo est paratior, & populos optime a natura ad humanitatem formatos, pacis etiam artibus ad societatem expolitos, ad vitæ commoda instructos, ad nominis celebritatem erectos, & confirmatos admirabitur.

Quæ tanta bona, tam multa, tam diuturna nec ullus erit, qui contemnat, nisi siquis cum Philosopho Genevensi quandoque desipere velit, & maximas e literis utilitates in
Rem-

Rempubicam redundare profecto evincent. Ne igitur operam conteramus in ea re declaranda, quæ omnium quidem consensu, vestræ autem potissimum gentis iudicio extra omnem dubitationis aleam posita est. Num vero dubitare possimus, quominus publicæ Bibliothecæ constitutio, ac præsertim tam copiosæ, tam paratæ, tam ad omnia literarum commoda instructæ, qualem beneficio optimi, & providentissimi PRINCIPIS habemus nos, habebit posteritas, maximas literis utilitates sit allatura? Non ego hostes mihi fingam, quibuscum verbis contendam; nec ullum esse suspicari possum, qui ita ratione abuti velit, ut neget studiorum incremento optime hac ratione consultum esse. Et sane quod certis diebus, stisque horis cuilibet Bibliotheca patere debeat, ita ut vel si quis ab inopia libris sit destitutus, vel si auctor sit consulendus, cuius opera vel ob raritatem, vel ob immodicum pretium fortunam superent privatam, hic omnia in promptu sint, quibus sibi quisque satisfaciat, non hoc in magnum studiorum emolumentum cedere censeamus? Quot optimæ indolis juvenes fortunæ calamitate oppressi inutiles Reipublicæ evaserunt, qui tamen maximum literis lumen accendissent, si huiusmodi præfidiis sublevati, & alti fuissent? Plurimum sæpissime interfuit, vel ad illustrandam antiquitatem, vel ad codices tum sacros, tum profanos emendandos, vel ad jura maximi momenti comprobanda; quod ad manus doctorum hominum parata esse possent ejusmodi opera, quæ nullibi fere, nisi in maximis Bibliothecis reperire fas est. Illud etiam in Republica literaria evenire solet, quod in civili sæpius usuvenisse videmus, ut magna ingenia oriantur, quæ inusitatis viribus prædita nullis limitibus coercantur, & ubi quidquid valent experiri possint, magna communibus rebus incrementa sint allatura; atque huiusmodi ingeniis prope divinis hominum genus debet, quod nobis ad gloriam via communita fuerit, quod difficultates vel deletæ, vel saltem lenitæ sint, quod lux præclarissima orbem collustraverit.

Porro his potissimum quantum Bibliothecæ profuerint, vel prodesse possint, non modo animo conjicimus, sed oculis omnino videmus. Quidquid enim præstare potuit in publicam literarum utilitatem Sirmondus, Bibliothecæ præsertim Papiensi debemus, quidquid Salmasius, Bibliothecæ Heidelbergensi, quidquid Muratorius, Bibliothecæ Atestinæ, quidquid Mabillonus, Bibliothecis Corbejensi, & Parisiensi, quidquid Oeffelius huic ipsi Bibliothecæ, cui tanta cum laude, ac literarum gloria præfuit; ut alios innumerabiles fileam, quorum immortales foetus, immensosque conatus admiramur, & e quibus nullo nostro labore proficimus.

Ipsæ jam Bibliothecæ ad eum numerum excreverunt, ut eruditis viris occasio data fuerit, longissima itinera suscipiendi, ut illas perlustrarent, doctaque indagine perscrutarentur, & tamen quivis facile intelligat, quantum ipsis laboris decesserit ex Bibliothecarum opportunitate: quid enim præclarissimi viri eniti potuissent, aut quid omnino aggredi ausi essent, nisi in publicis Bibliothecis tot congesta, servata, & ordine disposita antiquitatis, legum, & alienorum laborum monumenta invenissent, sed privatas domos quærere, obscuros angulos lustrare, plurium sæculorum pulverem excutere, hominesque, qui quas opes polliderent aut turpiter ignorarent, aut invidi occulerent, sciscitari, & exorare debuissent?

Cum hæc animadverto, verissime prorsus Asinium Pollionem a Plinio laudatum fuisse intelligo, qui de illo prædica-
vit, quod primus Bibliothecam Romæ dicaverit, quod hominum ingenia rem publicam fecerit: scilicet Bibliothecis conclusa vivunt adhuc, & spirant tot præstantium virorum ingenia, quæ nos cominus inspicere, invicem comparare, & manibus quodammodo contrectare possumus; quæcumque ab illis cogitata, comprehensa, inventa fuere, nobis in rem nostram convertere, & non modo ad nostra, verum etiam ad aliorum commoda deducere licet; nec ab hoc tam lauto con-
vivio,

vivio, si pauper, arceris, si ignobilis, rejiceris, si rudis, extruderis; omnibus patet aditus; omnes hinc sapientiam haurire, doctrinam mutuari, animi ornamenta, fortunæ præfidia derivare possunt; nec quod aliquis sibi multa utenda sumpserit, idcirco minor aliis sufficiat copia; quin imo hujusmodi thesauros quo magis excutias, eo minus exhaustas, & quo ditior inde profiscaris, eo majores illuc divitias sis relaturus.

Atque utinam, sicut hujusmodi publicarum Bibliothecarum instituto, quale a divina Principum liberalitate expectari potest, id obtinetur, ut parabilior omnibus sit doctrinarum adeptio, ita præclarissimum inventum facilius executioni demandari possit linguae cujusdam communis, quæ cum ab omnibus perdisci facile posset, ita universæ sapientiæ communicationem brevissimam conciliaret, cujus ope quantum compendii feret in allequenda doctrina, tantum ex amplificato cum omnibus hominibus idearum quasi quodam commercio humana etiam ingenia ad penitus introspectiendam, & comprehendendam universam rerum naturam adjuvarentur. Atque hoc inventum sæpius propositum, ab homine tandem Germano primum tentatum, optandum utique esset, ut in vestra Germania ad effectum perducì possit; in quo de universo hominum genere non minus bene, quam pro inventa typographia mereretur. Sed verendum sane est, ne postquam qui illud probavit, quique ea ingenii divinitate præditus erat, ut solus ad tantam rem allequendam natus videri posset, postquam, inquam, magnus Leibnitius fieri quidem id posse censuit, sed a faciendo manum abstinuit, verendum profecto est, ne vel nemo tantum opus aggredi audeat, vel si ausit illi impar evadat. Quamquam si hujusmodi votis indulgere licet, ut mirificæ, & præclarissimæ excogitationis memoria saltem retineatur, haud tamen id, quo jam fruimur, contemnere debemus. Habemus jam enim linguam, si non philosophicam, & quam cum Japonibus, aut cum Taitianis loqui possimus, eam tamen, quæ scientiarum com-

mercium non modo intra Europæ limites, quod tamen jam magnum esset, sed cum longinquis etiam, alioque sub Sole positis regionibus colere possit: habemus linguam latinam, quæ jam sinu continet suo non modo veteris sapientiæ thesauros amplissimos, verum etiam opes fere omnes, quibus recentiores literariam Rempublicam locupletarunt. Quousque linguam hanc excolemus, haud valde desideranda nobis erit alia quædam lingua, quæ ad perficiendam artem sensa nostra exprimendi ita fortasse quæreretur, ut in aliis omnibus artibus illud summum, & perfectissimum quærendum proponitur, quod vel animo concipere vix uni, aut alteri ex peritioribus artificebus datum est, re ipsa vero nemo se assequi posse confidit.

Nolite autem vereri, Auditores amplissimi, ne hic ego latinæ linguæ laudationem sim instituturus, in qua ea omnia repetam, quæ ab eloquentissimis pluries jam in ejusdem linguæ commendationem commemorata sunt. Nimis hoc a meo proposito alienum esset, nec vestra patientia abutendum esse intelligo. Sed tamen quid utilitatis retineret hæc ipsa amplissima Bibliotheca, si latinæ linguæ studium apud nos defervesceret? Vos profecto id optime intelligitis, qui minime ignoratis, quidquid superioribus sæculis Germania in omnium disciplinarum studiis profecit, id fere totum latinæ linguæ concreditum esse: ita ut si nos, vel posterī nostri latinam linguam deferere velimus, opus sit, ut simul præstantissimæ, omniumque amplissimæ hæreditati majorum ingeniis partæ renunciemus. Inutiles igitur remaneant tot eruditissimorum virorum vigilæ, tot pro illustrandis scientiis labores, tot felicissimi, & immortalitate digni conatus, quibus majores vestri, sibi apud nos, cæterosque posteros suos quam commendatissimos se fore sperarunt. Hæc ipsa doctrinarum omnium pulcherrima supellex ex munificentia Principum maximis impensis huc coacta, inutilis maxima ex parte jacebit.

Hæc

Hæc autem cum dico, Vobisque ob oculos propono, illud præcipue animo obversatur novandi studium, quo pluribus in locis ita patriæ linguæ cultura edicitur, ut linguæ latinæ exilium prope denunciatur: laudo equidem studium in linguam patriam excolendam; honestum illud judico, pium etiam quodammodo, si libet etiam necessarium: itaque in iis rebus, quæ ad civilem statum pertinent, & vulgus maxime respiciunt, habeat sane suum locum lingua popularis; in rebus item, quæ Religionem spectant, laudetur prudens studium attemperandi sermonis ad majorem pietatis cultum; quamquam, ut pluribus in rebus, ita etiam in religiosis institutionibus experientia testis est, multa utilius retineri, quam prudenter immutari. Ars vero poetica Musas omnes colat domesticas; pulcherrimæ enim facultatis totus depereat fructus, & a proposito sibi fine prorsus aberret, nisi ea lingua majorum memoriam revocet, virtutis præcepta doceat, pietatem vel in patriam, vel in Deum insinuet, quæ omnia vel maxime a poetices cultoribus præstanda sunt, nisi, inquam, ea lingua hæc omnia canant, quæ ab omnibus intelligatur. Meminerint tamen tum poetæ, tum Oratores, tum Historici, meminerit quilibet patriæ linguæ nobilitandæ studium ostentat, nihil magis ad linguam quamlibet formandam, & expoliendam conferre, quam si alterius linguæ jam perfectæ comparatione fingatur quodammodo, ac veluti succo nutriatur. Hoc autem præsidii præter græcam, quam ad commune scientiarum commercium proponere inopportunum esset, quamquam ad profundiorum doctrinam, & ad abstrusiora scientiarum arcana persequenda numquam satis commendari potest, a nulla alia lingua petendum videtur, quam a latina. Mitto latini sermonis copiam ab usu artium, & doctrinarum omnium tractatione comparatam: mitto elegantiam per tot eruditos scriptores e cultissima gente acquisitam: mitto majestatem, & in ipso verborum sono imperium consulare: hoc unum animadvertam, nulli magis, quam Germanorum genti convenire, ut latinæ linguæ usum retineat, quoniam apud eandem gentem

tem nomen, atque reliquæ Romanæ majestatis conquievère: scilicet apud vos summi Imperii nomen consedit: vos Romanorum aquilas malis ominibus Byzantium pertractas felicioribus castris recepistis: vos Romanorum leges, quibus præcipue Romani magnitudinem imperii stabilivere, vos eas leges amplexi estis, quæ vobis in subsidium juris patrii, & in humanitatis præsidium adessent: Vos itaque cum Romano Imperio, cum Romanis legibus, addam etiam ex vero, cum Romana virtute linguam quoque Romanam retinete. Nihil quidem convenientius facietis ad vestram dignitatem: sed quod mea nunc oratio præcipue spectare debet, nihil etiam utilius ad scientiarum omnium culturam, & incrementum.

Publicæ quidem Bibliothecæ præsertim si ea dignitate, eaque munificentia conditores nactæ sint, quibus hæc nostra gloriatur, sinu quidem complectuntur innumerabiles libros non modo cujuslibet argumenti, verum etiam cujuslibet linguae, qui simul collecti frustra alibi quærerentur: hæc una est, eaque plurimi æstimanda ex multis utilitatibus, quæ ex publicis Bibliothecis in literarum commodum redundant: ut scilicet cum nulla provincia, nulla prope urbs in tota culta Europa habeatur, ex qua non aliquis vir præstans ingenio, eruditione, studio, præclari aliquod contulerit ad illustrandas doctrinas, id quaecumque sit ad manus esse possit, siue genuinum sensum excutere velimus, siue notitiam aliquam excerpere, siue diversa scribentium comparisonem instituere ad eruendam veritatem.

Verum enimvero tanta hac, nulloque pretio satis æstimanda utilitate ille tantum cumulatus fruetur, qui omnibus linguis eruditus, earum vim ita assequatur, ut non in verbo hærere, non titubare, non ex conjectura divinari, sed cujuslibet indolem, ut ita dicam, & proprietatem dignoscere possit. Fingite autem animis, Auditores ornatissimi, quæ a Sæculo V. usque ad instauratas literas pessime quidem latine, sed tamen ita latine, ut ex usu cultioris sermonis facile.

le intelligi possint, ii scriptores edidere, qui nobis illorum temporum notitiam aliquam servarunt; fingite paulisper ea omnia singulos populari lingua extulisse, ita ut Martianum Capellam Aegyptiace, Eugenium Toletanum Hispanice, Gregorium Turonensem, Vincentium Bellovacensem Gallice, Bedam, & Matthæum Parisium Anglice, Paulum Warnefridum Longobardice, Saxonem Grammaticum Danice, Martinum Polonum Polonice loquentes habeamus. Post renatas vero literas ea omnia, quæ nunc latina lingua comprehensa tenemus, fingite rursus ab unoquoque Scriptore vernaculo sermone exarata fuisse; jamque ad Lusitanos accedite, ad Hispanos, ad Gallos; tum Anglos invisite, & Danos, & Suecos, & Russos; tum Polonos, Hungaros, Illyricos, & Helvetios, & Italos; habebitis sane in amplissima hac Bibliotheca, quo indulgere genio possitis; hic enim omnes, quæcunque ex gente advenerint, veluti in commune diversorium liberali hospitio excepti sunt; hic vos scilicet expectant, ut vobiscum de rebus suis colloquantur, & vos bonorum suorum participes humanissime faciant. Mithridatem nimirum aliquem expectant, de quo ad miraculi memoriam proditum est, quod duarum & viginti gentium linguis loqueretur. Quotusquisque enim est, qui tot linguas, tamque diversas ita calleat, ut ad omnes recte interpretandas satis exercitatus habeatur? Vel nemo unus, vel ad summum unus, aut alter: itaque cum satis jam temporis teratur in una, aut altera lingua perdiscenda, aut in omnibus acquirendis ætas absumenda est, aut abjicienda spes ea omnia cognoscendi, quæ cæteræ gentes, ut sunt fere omnes præstanti ingenio, & alacri studio, ad doctrinarum incrementum quasi symbolas sint collaturæ. At si linguam latinam teneamus, eam primum linguam tenemus, quæ non amplius mutationum vicissitudini est obnoxia: eandem enim linguam omnes addiscimus iis præceptoribus, qui eam octo-decim jam sæculis totum orbem docuere; quod si pro diversa ætate, ac pro dissimili diversarum nationum indole diversis quibusdam quasi coloribus inducitur, eandem ta-

men

men apud omnes vim retinet, & perspicuitatem. Illud porro accedit, quod a lingua latina omnis abest invidia; cur enim potius Italus Islandicam, quam Islandus Italicam linguam edoceri cogatur? At lingua latina habet auctoritatem antiquitatis, habet universorum consensum: nec ad Italos magis pertinet, quam ad Hispanos, aut Gallos; usu enim æque propriam fecerunt gentes omnes, quæ per tot sæcula latina lingua suas res, suas artes, suas doctrinas comprehenderunt. Hæc itaque nobis, hæc cultæ Europæ lingua sit Philosophica; hæc ingeniorum omnium eos saltem scetus excipiat, quos ut ipsa alat, educetque ad vitæ æternitatem publicæ interest studiorum utilitati: hæc ut hætenus nobis Cartesii, Verulamii, Newtoni, Tychois, Copernici, Leibnitii, Bernoulliorum, Euleri &c. &c. cogitationes, & inventa communicavit, ita quæ nos communi doctrinarum thesauro veluti fœnore reddiderimus, ipsa ad subsequentes deferat ætates, ut nova inde sapientiæ seges enascatur.

Enim vero eo me orationis impetu quodam, & argumenti gravitate delapsus esse intelligo, ut a meo proposito plane defecisse videar. Quamquam, ut paulisper me colligo, quod hætenus de latina lingua disserui, haud ita alienum ab oratione mea videtur, ut dictorum pœnitere debeat. Cum enim ostendi quid maxime optandum sit, ut publica Bibliotheca maxime utilis esse possit, id scilicet ostendi quod in hac Bibliotheca jam possidemus, quæ cum eas omnes literarias opes contineat, quæ hætenus in communem doctorum linguam confluxere, maximos profecto utilitatis fructus literariæ Reipublicæ pollicetur, ex quo literarum cultoribus est ad ipsam aditus patefactus. Sed quoniam ea vos benignitate, Auditores optimi, expertus sum, ut me licet ab orationis meæ semita longius deflectentem, tamen patienter audieritis, oratos vos velim, ut mihi eandem voluntatem præstetis iterum a proposito parumper digredienti: ut enim modo ostendere conatus sum, qua ratione publica Bibliotheca maxime utilis esse possit, ita nunc abstinere nequeo, quin
illud

illud animadvertam, quod majori Bibliothecæ utilitati maxime possit officere.

Bibliothecæ cujuscumque utilitatem a librorum copia maxime dimetiri solemus; cum hujusmodi institutionis ea præcipua sit ratio, isque finis, ut studiosis quam amplissime consultum sit, & nihil non suppetat, quod ad doctrinarum culturam requiri possit. Itaque de hac ipsa Bibliotheca affirmare ausim, eam cum quacumque alia de utilitate publica certare posse, quod cuicumque alij, etiam ex copiosissimis, sit librorum copia comparanda. Atque hic quidem cujuslibet sæculi, cujuslibet facultatis, cujuslibet linguæ auctores velis, percontari poteris, nec tantum classici quosque adire, non tantum majorum, ut ita dicam, gentium Deos, & eorum quasi Delphici Apollinis, aut Jovis Ammonis oracula consulere, sed etiam cum Diis minorum gentium quibuscumque consuetudinem inire, illisque uti quam familiarissime. Etsi vero illud summopere optandum esset, ut ex prima tantum classe auctorum numerus augeretur, tamen cum id non ferat humana natura, quæ singulis fere sæculis singulos viros præter cæteros excellentes enixa est; cum etsi maximus fructus capiatur ex maximis ingeniis, sua tamen sit laus etiam diligentiae; hæc ipsa minorum auctorum copia justam habet utilitatem; præsertim cum multæ sint partes doctrinarum, quarum tractatio mediocribus etiam, dummodo subactis, ac diligentibus ingeniis contenta sit. Sed quousque tandem proletariorum habebitur delectus? Quousque plebejis quibuslibet in sapientiæ sacrarium aditus patebit? Irrumpunt jam enim, & vim quodammodo faciunt ipsis parietibus, nisi resistimus. Scio a quodam sapiente modeste dictum fuisse, nullum se, quamvis malum librum legisse, ex quo non aliquid profecerit; sed cum tanta jam excreverit optimorum auctorum copia, ut ne omnes quidem percenseri possint, quis in collectitiis operam perdat? Quis in tanta hac luce, in hoc doctrinarum splendore, in tanto summorum ingeniorum proventu, quis ferat publicas Bibliothecas nebulonibus quibusque, scur-

ris, poetastris invadendas, polluendas, contaminandas permitti? Haud ego in dubium revocari maximam utilitatem, quæ ex Typographiæ invento in literas, in Rempublicam, in omne humanum genus redundavit: ne ferre quidem æquo animo possum, quod aliquis ex paradoxo gloriolam captaturus, utrum majus extiterit ex Typographia commodum, an incommodum, dubitare voluerit. Sed tamen inficiari non possum, ita multos scribendi, edendique in lucem cacoethe teneri ita insanabili, ut ex quo invento maximum emolumentum accessit literis, maxima ex eodem perniciēs iam sit expectanda.

Inciditne quis in chartulas aliquas vetustate infuscatas, quibus obscura aliquot nomina, aut nulla celebritate insignis locus, aut nullius momenti privata fabula continetur? Nihil quidem in illis præter vetustatis sordes commendari potest; sed commentaria rem illustrem facient, adeoque typis mandantur. Conjecerit alius in adversaria quidquid ex variis lectionibus notatu dignum sibi visum fuerit: erunt quidem ea omnia ab aliis notata jam sæpius, & illustrata præclarius: sed ne posteros lateat, alium deinde supervenisse, qui eadem legerit, & notaverit, adversaria typis mandantur. Effuderit aliquis pro re nata, aut etiam invitis Musis versiculos scriptitaverit, quibus aut nihil bonæ frugis contineatur, aut moribus præterea, pietatique bellum indicatur; hæc item typis mandantur. Nec si res pauculis quibusdam chartulis expediri potest, id satis putatur ad auctoris nomen celebrandum: nempe chartis maximis inscriptum nomen magnitudinem ab illis mutuatur, & ut contra temporis impetus mole sua quodammodo stare possit, duobus saltem, aut tribus maximis voluminibus est onerandum. Quid vero commemorem acutulos quosdam, & enervatulos philosophos, qui quod sæculo XVIII. sæculo scilicet maxime philosophico natos se esse gloriantur, & cum tamen veram philosophiam vix a limine salutarint, id nihilominus sibi arrogant, ut de omnium rerum divinarum, & humanarum natura, deque omni bene vivendi

vendi ratione disputantes soli audiendi sint; idque porro
 consequantur, ut nihil tam absurde dici possit, quod non ab
 eorum aliquo dictum fuisse indignemur. Hi quidem omnes
 conscribendo summopere occupati, & tunc sibi maxime
 plaudentes, cum aliquid in medium adducere possunt, quod
 a communi sensu maxime abhorreat, levibus commentationi-
 culis, quas super cœnam, & pocula meditantur, irruunt in pu-
 blicam lucem, & typographicis laboribus æque, ac nostra pa-
 tientia abutuntur. Ita autem nos beare suis lucubrationibus
 festinant, ut nondum ad umbilicum pervenerint, cum jam geme-
 re torcularia jubent; a calamo ad typos papyri singulatim pro-
 volant: utrinque fervet opus; timor est ne vel typographus
 scriptori, vel scriptor desit typographo; diceres illos pericli-
 tanti Reipublicæ occurrere, quam nisi suis libris in lucem
 emissis salvam, & incolumem servare nequeant. Ut ex in-
 consulta hujusmodi præcipatione multi obrepant errores
 necesse est tum Typographi, tum Auctoris; ita ut tandem
 editionis auctorem pudeat; sed in promptu est, quæ ipsis au-
 xilietur, impudentia: omnia quidem errata typographo cul-
 pæ vertuntur; hinc vero arripitur occasio novæ curandæ
 emendationis editionis; haud quia sit operæ pretium, sed
 ut auctor altera editione gloriari possit: ita fit, ut nullus in-
 eptiarum modus inveniatur. Atque hos libellos primum
 quidem quasi velitari diceres; adeo ipsa eorum levitate com-
 mendati undequaque funduntur; quocumque ingruunt, cu-
 juscumque manibus versantur, ab indoctis, a mulierculis,
 a barbatulis quibuscumque libenter excipiuntur, avide le-
 guntur: verum post paucas horas quasi evanescunt; similes
 diceres quibusdam insectis, quorum vita unius diei spatium
 concluditur; eos tamen adhuc bene sperare jubeo: abesse
 non poterit, quin tandem aliquando ad gravis armaturæ
 milites ipsi etiam transferantur. Neque enim evanuit adhuc
 e-literaria Republica officiosa quædam hominum natio, quos
 legulos, an bajulos appellem nescio; quique cum de suo pe-
 nu nihil proferre possint, alienis colligendis, & convectandis

incumbunt: semper autem gravis adest aliqua causa adorandæ collectionis; vel ut auctoris opuscula omnia simul habeantur; vel ut omnes de eodem argumento commentationes uno oculi ictu conspici possint: vel tandem nullam aliam ob causam, nisi ut majoribus voluminibus ab interitu vindicentur. Ita isti ipsi libelli non tam mole exigui, quam futilitate despiciendi, qui post levem quamdam velitationem ad oblivionem damnati jacebant, modo correcti, aucti, indicibus ornati, ac si superis placet, commentariis etiam a laborioso collectore fortasse nobilitati nobis iterum obtruduntur in legionarias quasi cohortes descripti, ut Bibliothecas invadant, literas obruant, studiosis fucum faciant, Rempublicam literariam divexent, onerent, labefactent.

Ut autem hujusmodi incommoda a Bibliothecis avertantur quanta diligentia, ac vigilantia utendum esse censeis, Auditores ornatissimi? Tanta scilicet, ut si id ad amoliendam eam calamitatem profuturum esset, publicæ etiam auctoritatis interventum necessarium arbitrarer, qua tanta scribendi, edendique licentia coerceretur; qua in re non illud quærendum esse mihi videtur, quod maximis studiis ex utraque parte sæpe disputatum est; sit ne literis utilius, an perniciosius, quod quilibet typographia uti, abuti libere possit: frustra enim hoc quæritur, cum potius statuendum est impossibile factu esse, ut hujusmodi licentiæ frenum injiciatur; ut enim hoc obtineri posset, omnium populorum necessarius esset in eandem legem consensus: ubi unus tantum ab hac lege abstineat, res fere tota eo recidit, ut reprehendendæ librarium aviditati ad turpem quæstum aditus relinquatur. Quod enim pluribus vetitum est, id sibi lucro pauciores deputant. Itaque quamvis apud plures populos lex viguerit de perniciosis operibus non edendis, non ideo tamen a typographicis prælis tot Cynici, tot Pyrrhonici, tot Athei, tot publicarum seditionum faces, tot alieni nominis detractores, tot denique probra, tot flagitia depulsa sunt, quibus Rempublicam literariam temeratam, violatamque dolemus.

Sed

Sed qua ratione huic tanto malo occurri possit, si quatenus potest, longioris esset indaginis, quam ut eam locus, & tempus ferat. Sane ne meae provinciae fines transgrediar, id non modo Bibliothecis apprime utile, sed etiam literariae Reipublicae saluberrimum, & ad istorum, qui in publicam lucem quotidie erumpunt, confidentiam cohibendam, & castigandam maxime opportunum arbitrarer, si quicumque publicae Bibliothecae Custos est datus, invicta quidem patientia omnia ea devoraret, quaecumque in dies apparat Typographorum imprudens sedulitas: sed quolibet anno vertente indiculos ederet, quibus literariam Rempublicam commonefaceret, qui auctores, & quibus de causis in suam Bibliothecam recepti, quive fuerint exclusi; & eorum quidem, quibus Bibliothecae aditus interdictus esset, nec nomina quidem referri vellem, ne vel per infamiam nominis celebritatem aliquam sectarentur: titulorum denunciatio satis esset, ut quisvis ab iisdem cavere posset; atque hac fortasse ratione consequeremur, ut nonnulli de ea confidentia remitterent, qua in scenam progredi, seque ostentare, ac venditare gestiunt; ne scilicet id unum laborasse viderentur, ut ab intimis sapientiae adytis censoria adnotatione submoverentur. Enimvero periculosa plenum opus aleae Bibliothecarum Praefectis a me proponi intelligo; novi hominum ingenia; novi bella plusquam civilia; itaque continebo me, nec propositum nimis urgebo: satis quidem sit, si acri, quantum fieri poterit, ac diligenti iudicio utamur in novorum operum delectu adhibendo, ne tot quisquiliae, quibus hodierno tempore literae obruuntur, in Bibliothecas exonerentur.

An vero, Auditores spectatissimi, cum istiusmodi doctrinarum omnium corruptoribus communicandum erit commodum, quod vel maxime manat e publica Bibliotheca, quo scilicet sit, ut quaecumque in ejus sinu semel deposita fuerint, sint quodammodo in publicae fidei tutela, qua vel a temporis injuriis, vel a vicissitudinum discrimine eximantur? Mitto enim quod Auctoris cujusdam in publicam Bibliothecam

eam illatio perinde habenda esset; ac ejusdem literaria apothecis; qui honor non gratiæ, non ambitioni, non typographicis ornamentis, sed ingenio, sed doctrinæ, sed illustribus in literas meritis decernendus est: simul ac enim auctoris cujusdam opera in Bibliothecam inferuntur, publica quodammodo auctoritas intervenire videtur, ut ad ea tuto, quasi ad sapientiæ fontes accedamus: nec profecto decet, ut cuiquam publica auctoritate illudatur. Sed ad rem redeo.

Quantis conversionibus, ac perturbationibus gentes, ac nationes passim conflictatæ sint, quantas calamitates in tot populorum motibus publicæ, & privatæ fortunæ acceperint, nemo ignorat, & literarum præcipue causa dolere debemus, quarum plurimis, præclarissimisque monumentis orbati sumus, quæ distracta, dissipata, deperdita sunt. Nec ad conservandos tot nobilissimos fontes, quos veterum divina ingenia peperere, ipsæ Regum, & Imperatorum Bibliothecæ quicquam valere: quid enim restat ex amplissima Ptolemæi Bibliotheca, quid ex Pergamena, quid ex Palatina, quam Apollo ipse tuendam receperat? Sed tamen si qua spes ad est aut immortalitatis, aut saltem longioris vitæ ultra communes rerum humanarum terminos prorogandæ, hæc profecto in publicis Bibliothecis ponenda est: eoque major in illis, quæ Principum auctoritate, ac beneficio constitutæ sunt, quo minus anceps, & volubilis est Principum fortuna, quam privatorum conditio.

Nec vero quicquam præclarius a me commemorari potuit ad commendendam publicarum Bibliothecarum utilitatem, quam quod ad cætera maxima, & præstantissima commoda illud etiam accedat, ut his veluti arcibus & propugnaculis contra temporis iniurias objectis, oppositisque literariæ opes concludantur, quas summi Principes eodem studio, ac propriam dignitatem, propriasque fortunas tueantur. Quod vero nihil esse possit publica Bibliotheca ad gloriam magnificentius, erit ne, qui dubitet? Nihil sane est, quod gentem aliquam

magis illustret, atque nobilitet, quam suorum Principum gloria: cum enim natura ita simus comparati, ut qui maxime, vel nobilitate, vel opibus, vel opinione conspicuus sit, eum nobis imitandum, & exprimendum sumamus: cumque propterea suis cuique genti Princeps, quasi quoddam ad imitandum exemplar propositum sit; si audiamus Regem aliquem sapientem, bene moratum, generosum, magnanimum fuisse, ex eo ut plurimum conjicimus, qui populi illius imperio paruerint, eos similibus virtutibus floruisse; adeoque cum præclari alicujus Principis nomen ad nos perfertur, eo nomine non solum ipsius Principis, sed etiam populorum, quibus ille dominatus fuerit, contineri laudes intelligimus. Quid autem gloriosius de Principe aliquo prædicari potest, quam quod literas adjuverit, & ab earum patrocinio commendationem sui nominis duxerit? Hinc est potissimum, quod Augustus suo sæculo nomen indidit, suo summus Pontifex LEO X, suo Rex Galliarum LVDOVICVS XIV. Et vos quidem, Auditores ornatissimi, si Principum vestrorum memoriam ab ultima usque ætate revocare velitis, habetis sane, in quo iure gloriemini. Ut enim in aliis vel maximorum Regum familiis antiquitas generis, ita in vestris Principibus recensetur antiquitas Dominationis; qui quidem ditiorum amplitudine, affinitatum splendore, præclarissimis maximarum virtutum exemplis ita sunt nobilitati, ut quæ inter alios divisa, in his omnia sint cumulata ornamenta dignitatis.

Atque eo nunc loci versatur oratio mea, qui omnium esset ad dicendum uberrimus, & ex quo per Germaniæ, & Italiæ historiam excurrere possem ad nobilissimorum Principum memoriam renovandam. Sed nihil afferre possem, quod vobis ignotum esset. Silentio igitur premam quanta semper clementia populos rexerint, quantam fortitudinem in adversis rebus præstiterint, qua moderatione prosperis usi sint, quibus victoriis claruerint, quot, quantisque beneficiis non privatos, non principes modo affecerint, sed ipsum Germanorum

norum Imperium amplificaverint. Quæ vero in literas con-
 tulerint, ut hic deprædicem, ipso orationis meæ cogor insti-
 tuto, atque ipsa me hæc monet Bibliotheca, ut præclarissi-
 ma, & gratissima nomina appellem ALBERTI Magnanimi,
 GVILIELMI, MAXIMILIANI I. FERDINANDI MARIAE,
 MAXIMILIANI JOSEPHI, quorum liberalitate ortum habuit,
 & ad hanc amplitudinem pervenit. Sed quorsum, Auditores
 ornatissimi, hujusmodi maximorum Principum liberalitas
 evasisset, nisi hæc eadem Bibliotheca ad publicam commodi-
 tatem patuisset? Hæc tot monumenta ad artes, ad literas,
 ad doctorum virorum famam spectantia a paucis cognosce-
 bantur. Celebrabantur fama tot aliæ vel privatorum homi-
 num Bibliothecæ, & aliæ a MSS. copia, aliæ ab editionum
 antiquitate, hæ a linguarum exoticarum collectione, illæ
 a singulari aliquo monumento commendabantur; de hac no-
 stra vix tenuis rumor ad externos afflabat; quid dico ad ex-
 teros? Domesticos prope ipsos, hospitumque ad nos adven-
 tantium curiosas perquisitiones prope fugiebat: aut extare
 quidem Bibliothecam quamdam, qualiscunque tandem esset,
 ad summum innotuerat: qualis autem re ipsa esset, quam
 dives, quam varia, quam multiplex, vix subodorari fas erat.
 Frustra itaque huc a Norimbergensi Schedelio tot latina, ac
 Germanica MSS, frustra a Widmanstadio tot Orientales Co-
 dices, & libri, frustra a Fuggeriana, & Victoriana Bibliothe-
 ca tot græca volumina confluerant; frustra ab Hörwarthio,
 a Meermanno, a Werdensteinio, a Crusio, a Müllerero, a
 Curtio tot præclaræ editiones, tot rarissima monumenta col-
 lecta fuere, ut cum integris eorum Bibliothecis ad hanc unam
 augendam, & nobilitandam transferrentur. Si quis in hu-
 jusmodi thesaurum forte incidisset, & Principum ædes his li-
 terariis opibus locupletatas aspexisset, præclarum profecto
 judicium de Principibus vestris fecisset, qui hujusmodi deli-
 ciis delectarentur, & beatos Bavaros reputasset, apud quos
 continuatam eorum Principum seriem videret, de quorum
 virtute tale, ac tantum monumentum existeret; hoc enim est
 omnium hominum judicium, in hoc omnes consensimus; eam
 esse.

esse inter scientias, & virtutes cognationem, ut qui doctrinae studia colat, idem virtutibus etiam excultus habeatur. Advenit tandem dies omnium felicissimus, omnibus optatissimus, qui tantam superiorum Principum laudem inusitato decore cumulare. Patet jam amplissima, & ornatissima Bibliotheca, quæ nobis, quæ posteris, quæ advenis, quæ universo literarum orbi patefaciat quos hactenus Principes extulerit Bavaria, Principes scilicet, quos Ptolomæis, & Augustis conferat.

Enimvero postquam ab Alberto V. conditam Bibliothecam, a subsequentibus Principibus nobilitatam, & auctam dixerimus, eosque debitis laudibus prosequuti erimus, quid nobis de illo erit prædicandum, qui hanc eandem Bibliothecam multo etiam magis amplificatam, a tenebris vindicatam, in ampliorem, & opportuniorem locum traductam tandem ad publicum literarum commodum reclusam voluit? Dicendum erit scilicet, illum omnium superiorum Principum laudes, quantumvis maximas devicisse: dicendum, ex omnibus immortalibus beneficiis, quibus hactenus Bavariam ornavit, hoc tanto cæteris illustrius, atque præclarius judicandum esse, quo præstantiorem Principem vobis divino munere obtigisse declarat.

Quid ego vobis significare velim, Auditores ornatissimi, finite quæso, exemplo vobis aperiā. Alexandrum illum Macedonem, quem mortales nescio admiratione magis, an terrore perculsi Magnum nominarunt, ab Aristotele eruditum fuisse haud ignoratis. Quid profecerit ex tanti Philosophi institutione, mihi plane non constat; nullius enim veræ philosophiæ vestigia in ejus rebus gestis invenio; nisi quod verbis præseferbat, magis quam Philippo Patri, a quo in regnum procreatus fuerat, se Aristoteli debere præceptori, a quo ad sapientiam fuerat informatus. Contigit autem dum perpetuis illis, quibus orbem turbabat, bellis implicitus esset, ut audiret, divulgatos ab Aristotele quosdam arduis de rebus.

rebus libros fuisse; quid putatis, Auditores ornatissimi? Magnus ille Alexander ægre id tulisse dicitur, & per epistolam cum suo Præceptore conquestus esse, perinde ac si nulla alia jam re cæteris præstare posset, postquam quæ ipse edoctus fuisset, omnium facta essent communia. Atque eodem quidem animo has ab illo profusas querelas censeo, quo bellum ad extremas orbis oras inferebat: scilicet mortalibus, ut libertatem, ita sapientiam invidebat; & quamquam ab Assentatoribus se Jovis filium dici non recusaret, degenerare se tamen a divina origine non intelligebat, non ex eo solum, quod belli calamitatem innocuis gentibus, ac populis importabat, sed etiam quod eam sapientiam, qua nihil uberius, nihil præstabilius a divina bonitate hominum generi dari poterat, sibi propriam, & peculiarem habere voluisset. Jam vero, Auditores ornatissimi, inter Magnum illum Alexandrum, & Clementissimum Principem, cujus beneficio hæc tota Bibliotheca in vestrum commodum cessit, comparationem institute. Hic ad sapientiam vobis iter munire, & præclarissima accensa luce præire gestit. Ille, licet nullo suo incommodo, nulla sua impensa, nulla sua cura, communicatam cum cæteris mortalibus sapientiam tamen ægre ferebat. Hic ut ad sapientiam contendere possitis, non modo majorum suorum opes, sed proprias etiam impendit, assiduasque curas, & cogitationes eo confert, ut beneficii sui diuturnitati, utilitatique provideat. Ille dum ferro vastaret provincias, bello populos opprimeret, orbi universo intentaret servitutem, simul etiam miseris mortalibus sapientiæ solatium ademptum voluisset. Hic dum publicas res optimis legibus constituit, dum populorum felicitatem pace tuetur, dum avitam religionem ornat, & amplificat, illum etiam tot amplissimis beneficiis cumulum imponit, ut vobis ad sapientiam comparandam instrumenta suppeditet. Uter jam tandem præstare vobis videtur? Utri Magni nomen magis convenire? Utri, si per nos liceret, divini honores decernendi? Sed si ut heroibus olim antiquitatis templa, & aras per nos sacrare minime licet, ipsa hæc Bibliotheca (liceat tandem sacrum, liceat

liceat Augustum nomen honoris causa appellare) ipsa, inquam, hæc Bibliotheca, CAROLI THEODORI templum erit splendidissimum, quod omnes veluti venerabundi invisent, in quo omnes divina ejus liberalitate fruantur, ex quo ejus nominis fama in omnes late gentes manabit, & ad omnem posteritatem commendabitur.

Et sane, ut nunc hominum res sunt constitutæ, nego quidquam præclarius, atque gloriosius de Principe quoquam prædicari posse. Nec enim ea ætate sumus, ut Triptolemus nobis aliquis, aut Osiris sit expectandus, qui nos ferendi agros artem doceat, aut Orpheus, qui teros homines a sylvis ad societatem cantu deducat, aut Théseus, qui vicatim habitantes familias in ampliorem cogat civitatem; jam communis inter homines societas conjuncta est; jam societatis legibus humanissimis regimur; jam societatem omnibus firmatam, & communitam præfidiis habemus. Cum omnia tamen perfectiora quotidie reddi possint, cumque hujusmodi perfectionem nisi ab artium, & doctrinarum cultura consequi nequeamus, qui ad has perficiendas auxilium præbet, ipsius societatis perfectior censendus est; adeoque ejusdem gloriæ particeps, quam maximam sunt consecuti ipsius societatis inventores. Ex quo igitur Bavarie obtigit, ut tanti Principis imperio bearetur, omnes profecto intelligent fieri non potuisse, quo minus sub illius auspiciis, eodemque excitante, alliciente, adjuvante, quæcumque artes, doctrinaeque ad humanitatem pertinent, maximam fuerint adeptæ perfectionem.

Progrediamur vero, Auditores ornatissimi; neque enim sola tantum conjectura, solaque opinione gloria nititur, quæ ex publica Bibliothecæ dedicatione ad augendum Bavarie decus proficiscitur: est aliquid amplius, quo intelligere possitis, quantum inde dignitatis vestro nomini accesserit. Quis enim vestro judicio dives, quis opulentus, quis splendidus dicendus est? Ille scilicet, qui non modo opes, & divitias habeat, sed illis etiam utatur. Si quis enim divitiis affluat,

& ab earum usu vel voluntate sua abstineat, sordidus, vel si prohibeatur, miser dicendus erit. Usu enim continetur quidquid id boni est, quo se divitiæ nobis commendant; præsertim si illis ratione utamur, prout virum probum, & honestum decet. Ipsa sapientia, si fieri posset, ut non ad usum vel privatum, vel publicum transferretur, qui illam possideret, nihil distaret ab insipiente, ac stolido cuilibet comparandus esset. Itaque cujuslibet rei tollite usum, res ipsa tota perire videatur. Rursum itaque sciscitabor, quis dives, quis opulentus, quis splendidus dicendus veniat? Neque id quaero ex Philosophis, qui me exsucca aliqua, & jejuna sententiola refrigerent. Ex communi hominum judicio, & ex vulgari maxime opinione responsum quaero. Nimirum is dives est, & habetur, qui rerum omnium copia fruatur, abundet, circumfluat, cui nihil non sit nisi lautum, elegans, exquisitum. Ast in hujusmodi divitiis est ne aliqua gloria, quam spectare possimus? Semper utique plures Crassi fuere, pluresque Luculli, qui non solum se beatos putarent, ceu se omnes arbitrantur, qui divites sunt, sed etiam qui ex ipsis divitiis celebritatem aliquam, & famam sectarentur: id saltem fateamur oportet, multum Lucullos inter, & Crassos distare; multaque in Lucullis laudari, vituperari multa in Crassis posse.

Sed jam Vos, Auditores, ad eas divitias traducam, de quarum gloria non profecto dubitare possimus. Quod quidem vestra intra mœnia tanta hæc, & tam magnifica Bibliotheca concluderetur, erat quidem Principibus vestris gloriosum, qui tot literariis opibus congestis præclarum de sua indole, deque sua humanitate judicium præbebant. Sed donec usus harum divitiarum fuit vobis interdictus, nemo profecto erat, qui eas vobis vehementer invideret; quibus enim minime utare, perinde est, ac si careas omnino. At enim nihil jam obest, quominus his omnibus divitiis perfruamini. Nostri Principis beneficentia, & liberalitate fores jam resecratae sunt, omnibusque patet thesaurus amplissimus, quo

quis-

quisque ditescere possit. Jam vero affirmo, vel nullum unquam ex splendore, & magnificentia posse decus expectari, vel neminem esse, qui vobis hujusmodi decore sit comparandus. Quam enim tanta suppellectili, quam copiosa, quam eleganti, quam exquisita usus est, quisquis Bibliothecam hanc ingrediatur? Nihil commemorabo de his, quæ ad quamlibet scientiam excolendam sunt necessaria. Si enim in necessariis tantummodo constiterimus, haud excitatam opinionem lautioris copiae adimpleremus. Quamquam in hoc etiam est aliquid, quo hæc nostra plurimis aliis præstet Bibliothecis. Cum enim pro diversa ætate diversa studia floruerint, inde fieri videmus, ut multæ ex antiquioribus Bibliothecis minus abundant libris recentioribus: quæ autem Bibliothecæ recentem ortum nactæ sint, haud ita abundant vetustis operibus. Nostræ vero Bibliothecæ copia, & abundantia nulli propemodum est impar ætati: infinita complectitur, tum quæ peperit vetustas, tum quibus recentiores inclārare; & humani ingenii vestigia persequi possis, siue notare velis quid Majores in Theologicis, in Philosophicis, in Ethicis, in Jurisprudencia maxime effecerint; siue te delectent, quæ in Mathematicis, in Historia naturali, in Geographicis, in artibus perficiendis ætas nostra præcipue præstitit. Sed omittamus necessaria, neque in laude ponamus, quod tamen ad integrum scientiarum circulum obeundum sufficeret: luxum, & profusionem quæramus. Hic non solum editis libris, sed etiam MSS. Codicibus abundamus. Non quibuslibet editionibus contenti sumus, sed antiquiorum rariorum, nitidiorum delectum habemus. Testes Jo. Fust, Arnoldus Buckink, Guntherus Zeiner; testes Schusleri, Eggensteinii, Schoifferi, Vindelini, Jensonii, Stephani, Aldi, Junctæ, Joliti, Plantini, plurimique alii, quorum nominibus a primis usque Typographiæ incunabulis ad nostra usque tempora illustratas editiones hic tenemus. Hic plurima rarissima Cimelia, quibus quasi ferculis delicatissimis non modo gustum provocare, sed etiam aliorum invidiam movere quæramus. Jam si quo copiosior est supellex, quo effusior est cultus

cultus, eo splendidior cujusque fortuna censetur, splendidissime profecto vos habitos esse fatendum est, cum vestris studiis tantus hic, & tam nobilis apparatus dicatus est. Cumque nihil magnificentius a liberalissimo PRINCIPE fieri poterat, quam ut tanti pretii thesaurus in vestrum commodum insumeretur, ipsa PRINCIPIS liberalitas in totius gentis eximium decus redundat.

Hoc enim præcipue animadvertendum censeo; Auditores ornatissimi, præclarissimum scilicet judicium a prudentissimo PRINCIPE de vestra gente factum fuisse, cum id consilii cepit, ut amplissimam hanc Bibliothecam vobis utendam permetteret. Significavit siquidem eam sibi expectationem de Bavarorum ingeniis commotam esse, ut quid judicii de ipsis ferret, toti orbi literato denunciaret; non hoc Bavaræ gentis decus nobilitare, non vestri nominis gloriam illustrare dicemus? Sed erant tamen, quæ præclaram hujusmodi expectationem concitare deberent; erant jam plurimæ Bavaræ gentis in Rempublicam literariam merita, quæ satis ostenderent, quid eniti ipsa posset, si ad excolendas scientias totis viribus contenderet.

Nonne enim e vestro sinu Germanicus Livius prodiit, Germanicæ Historiæ parens Aventinus? Nonne qui in Diplomaticis agmen ducit, vobis debetur Hundius? Inter vos etiam versati sunt, & magnam celebritatem sibi compararunt, tum Mathematicarum disciplinarum, & Astronomiæ peritia insignes Appianus, & Scheinerus, tum multiplici eruditione præstans Canisius, tum græcæ linguæ, antiquitatum sacrarum & theologicæ facultatis doctrina Gretserus; tum eleganti Polymathia præstans Raderus; tum Poesi latina Aurbachius, Martinus Balticus &c. Quid eruditos labores commemorem Brunneri, Eckii, Stevartii, Gewoldii, Herwarthii, Finckii, Clingenspergii, Schmidii, Fickleri, Engerdii, Curtii, Ickstadii, aliorumque plurimorum, a quibus Mathematica, Historia, Geographia, Jurisprudentia, literæ elegantiores tanta
cum.

cum laude excultæ, & illustratæ sunt? At hi omnes testes sunt luculentissimi, nihil esse tam arduum, & difficile, quod Bavaris ingeniis impervium fuerit, nihil tam magnum, & amplum, in quo non Bavari summa cum laude versati sint.

Optime igitur cessit, ut ea mens, is animus fuerit providentissimo PRINCIPI, ut quidquid ab ejus beneficentia exoptari posset, id ipse largiri voluerit; uberrimos siquidem fructus exituros prospicere possumus, & debemus, quibus literaria Respublica lætetur, gentis decus augeatur, immortalis gloria CLEMENTISSIMI PRINCIPIS nomen consequatur. Tantis ductus auspiciis minus reformidem, Auditores ornatissimi, quod mihi a beneficentissimo PRINCIPE est onus impositum hujus ornandæ Bibliothecæ, Vobisque inservienti. Multa mihi dicenda essent, vel ut gratos animi mei sensus declararem, vel ut virium mearum tenuitati excusationem quærerem. Sed utrumque paucis præstabo, si id in me recepero, quod me sancte præstiturum esse pollicear: quantum ego conniti, atque efficere potero, eo me totum collaturum, ut diligentia, sedulitate, obsequendi voluntate, ac studio cunctis gravissimi muneris partibus æque ac collato in me beneficio satisfaciam.

